



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Terjungi milites.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

De Dafypo
& Lepore
Authorum
opinio.

se non carniū sed victoriæ tantum gratiæ decertasse : atq; hoc sæpissime & passim evenire, una venatorum omnium asseveratione confirmatur. Quod vero de Leporis cursu dicebamus, id in memoriam adducit quod reprehenditur à Quintiliano M. Varro, qui dixerit, se à præceptore audivisse Leporem quasi levipodem dici. Sedenim apud Varronem legas Leporem Græcum esse vocabulum, Siculosq; quondam è Græcis λέπρον dicere, cum tamen non neget facillè evenire potuisse, ut cum à Roma Siculi sint orti, quod in veteribus annalibus habebatur, hinc vocabulum illuc tulerint, eodem apud nos relicto nomine. Quoniam vero controversia nunc magna est, utrum Dafypus & lepus unum idemq; sit animal, an diversa, loco Plutarchi superius citato manifeste scriptum, *Canes qui dafypodas insequantur.* Mox de eodem animali; *Quod si λαγώς animam desponderit.* Uterque autem omnino hirtipes, id sibi vult *δασύπυς*. Jam & antiquum dictum ostendimus, *δασύπυς κερών*, quem Livius Andronicus Lepus vertit. Plinius tamen Dafypum distinguit à Lepore, ut eo loco: *Pili acute exeunt Dafypodi in buccis intus, & in pedibus, quæ utraq; Trogus & in Lepore deprehendit.* Et alibi: *Coagulum inutile Leporis, Hædi laudatum præcipuum tamen Dafypodi.* Alibi: *Lepus omnium præda nascens, salus præter Dafypodem superferat.* Alibi: *Superferant & Dafypus & lepus tantum.* Alibi: *Dafypodes omni mense pariunt & superferant, veluti Lepores:* qui quidem loci, ut congruant, Delio indigent natatore, ita confusa omnia. Sedenim quæ Plinius de pilis loco primo posuit, mera sunt Aristotelis verba. Sunt autem ex peritis qui Dafypodem Plinio positum pro cuniculo arbitrantur, quem nusquam nominat Aristoteles. Sane Varro tria ponit Leporum genera, unum Italicum, primis pedibus humilibus, posterioribus altis, superiore parte pulla, ventre albo; auribus longis. Secundum genus Gallicum, idq; plurimum candidum, quales passim Alpes etiam Noricæ progignunt. Tertium quos Hispania producit, similes nostratibus ex parte quadam hos cuniculos vocant. Si quis autem unum atque idem animal esse contenderit ex Plutarcho aut aliis, idque liquido docuerit, gratiæ illi merito debebuntur.

HISPANIA. CAP. X.

Plin. lib. 8
cap. 55.

Ultimum autem genus hoc omnino Hispaniæ est hieroglyphicum, ut cernere est in quibusdam Hadriani numis. Et Catullus ab hoc animalium genere Hispaniam insignivit, ubi dixit in Epigrammatibus, *Cuniculosa Celtiberiæ sili.* Leporem vero & curru Rhæginorum fuisse monetam, apud Pollucem legas. Nam Anaxilas Rhæginus cum Olympia vicisset. Rhæginorum numis & Leporem & curru impressit, de quo etiam Aristoteles lib. Rhetoric. 3. Ajunt vero Lepores in Sicilia olim non fuisse, importatos vero per hunc Anaxilam, hanc illi memoriam comparasse: advectionem enim ex curru significari, nisi quis victoriam malit.

TERIUNGI MILITES. CAP. XI.

Militia veteris
parma.

Observes autem alicubi Lepores duos dimidios coloris lutei in punicea parma cujus medium rubra occupat columella, supra quam pila lutea, facie insignis humana, coloris identidem lutei sustinet. Gestamen id erat ordinis TERIUNGORUM sub magistro militum præfentiali mercenarium.

VALENTIANENSES. CAP. XII.

In eadem veteri militia lutea erat parma viridi circulo circumscripta, in cujus media columella punicea ab imo margine ad centrum usq; porrigebatur: inde duæ lunulæ coloris ejusdem sese in adversum incurvabant, inferiori parte columellæ applicitæ, superiore aliquantulum dissidentes, à medio vero columnæ Lepores duo dimidii, colore ipsi puniceo, sed densiore, in diversa prosiliebant. Insigne hoc erat, ut vetusta indicant monumenta, VALENTIANENSIVM, à Valente Principe delectorum, qui sub illustri viro Magistro militum per Thracas militabant.

DE VULPE. CAP. XIII

Vulpem Lepori subungere non incongruum videtur, quare ejus quoq; significata suscipiam explicanda: quamquam apud Ægyptios super ea nihil aut minimum quid traditum reperias. Totam vero Vulpes Græcorum & Latinorum est.

CALLI.